



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Commentariorvm, Ac Dispytationvm, In Tertiam Partem Divi Thomae. Tomi Qvinqve

Qui Est Primvs De Sacramentis: In Qvo Ea Continentvr, Qvæ Post
Præfationem Indicantvr

Suárez, Francisco

[Köln], 1619

2 Quid sit ille character.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-93807](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-93807)

testimonium est valde probabile, quatuor enim divini effectus à Paulo ibi distinguuntur, primus est fidei, qua firmamur in Christo. Secundus est charitatis & gratiæ, qua vngimur. Tertius est pignus Spiritus, quod est testimonium bonæ cōscientiæ. Quartus ergo, qui continetur in illis verbis: Qui & consignavit nos: debet esse effectus distinctus à reliquis, & non potest melius interpretari, quam de characterē, quo Christo confignamur. Dices, ipsemet Baptismo signari fideles, nec esse necessarium alium characterem. Respondet Ambros. 1. de Spiritu sancto cap. 6. Et si specie signemur in corpore, veritate tamen in corde signamur: nam illud signum sensibile, quod est Baptismus, non est tam proprius effectus Spiritus sancti, sicut est spirituale signum, quod animæ imprimitur, unde sicut alia omnia, quæ ibi numerantur à Paulo, sunt interna & spiritalia, ita & consignatio: Et ita obiter explicata manet congruentia D. Thom. Dixit autem prædictum testimonium esse probabile, quia optime & accommodatissime prædicto modo exponitur, non tamē est per se sufficiens ad contiendum proterum, quia multi Patres intelligunt aliter illum locū. Ansel. Signum crucis tantum intelligitur, quod nostris frontibus Deus imposuit, & per illud ab infidelibus distinxit. Apparentior est aliorum expositio, qui dicunt illam cōsignationem fieri per gratiam sanctificantem, & indicant per illa tria. Qui vñxit, signavit, & dedit pignus Spiritus, eandem gratiā significari, illa enim vngimur, & in filios Dei signamur, & pignus est atq; arrha gloriæ futuræ, ita fere Chrysostomus. Theodorus, Theophylactus & Oecumen. Inducitur etiam in commentarijs, quæ Hieronym. tribuuntur, & D. Tho. in Paul. quamvis de signo fidei & crucis etiam exponat, magis tamen approbat expositionem de signo gratiæ, quam etiam sequitur Ambros. ibi dicens, Vñxit nos spirituali vñctione, & signavit nos, dando Spiritum suum nobis, pignus, vt non ambigamus de promissis eius. Et in prædicto lib. de Spiritu sancto. Sancto (inquit) Spiritu signati sumus à Deo, sicut enim Christo morimur, vt renascamur: ita etiam Spiritu signamus, vt splendore atq; imaginem eius tenere possimus, quod est vtiq; spirituale signaculum. Quamquam hæc verba Ambrosij recte possunt intelligi, ita vt inter hoc signum, & gratiam distinctionem faciat: non enim dicit, signari nos per gratiam, sed signari, vt gratiam tenere possimus, quod est proprium characteris baptismalis: illo enim signamur, vt efficiamur capaces gratiæ, quæ per Baptismum datur: est ergo valde probabilis prima expositio huius loci, & aptior ad distinguendum illa tria, quæ Apostolus annumerat.

ARTICVLVS II.

Vtrum character sit spiritualis potestas.

AD secundum sic proceditur. Videtur, quod character non sit spiritualis potestas. Character enim idem videtur esse quod figura, vnde Hebr. corum i. vbi dicitur. Figura substantiæ eius, in Greco habetur loco figura, Character. Sed figura est in quarta specie qualitatis, & ita differt à potestate, quæ est in secunda specie qualitatis: Character ergo non est spiritualis potestas.

2. Præterea Dionys. * dicit 2. cap. Eccles. Hier. quod diuina beatitudo accedentem ad beatitudinem in sui participationem recipit, & proprio suo lumine, quasi quodam signo ipsi tradit suam participationem. Et sic videtur, quod character sit quoddam lumen. Sed lumen ad tertiam speciem qualitatis videtur pertinere. Non ergo character est potestas, quæ videtur ad secundam speciem qualitatis pertinere.

3. Præterea, A quibusdam character sic definitur. Character est signum sanctum communionis fidei & sanctæ ordinationis, datum ab Hierarcha. Signum autem est in genere Franc. Suarez. Tom. 3.

relationis, non autem in genere potestatis: Non ergo character est spiritualis potestas.

4. Præterea potestas habet rationem causæ, & principij, vt patet 5. Metaph. * sed signum quod ponitur in definitione re. 17. 10. 1. characteris magis pertinet ad rationem effectus. Character ergo non est spiritualis potestas.

SED contra est quod Philosophus * dicit in 2. Et hic. Tria sunt in anima, potentia, habitus & passio. Sed character non est passio, quia passio cito transit, character autem indelebilis est, vt infra dicitur. * Similiter etiam non est habitus, quia nullus habitus est, qui se possit ad bene & male habere. Character autem ad vtrumq; se habet, vtuntur enim eo quidam bene, alij vero male: Quod in habitibus non contingit, nam habitu virtutis, nullus vritur male, & habitu malitiæ, nullus bene: ergo relinquitur, quod character sit potentia.

RESPONDEO dicendum, quod sicut dictum est sacramenta noue legis, characterem imprimunt, in quantum per ea deputantur homines ad cultum Dei, secundum ritum Christianæ religionis. Vnde Dionys. * in 2. cap. Eccles. Hierar. cum dixisset, quod Deus in quodam signo tradit sui participationem, accedenti ad Baptismum subiungit perficiens eum diuinum & communicatorem diuinorum. Diuinus autem cultus consistit vel in recipiendo aliqua diuina, vel in tradendo aliis. Ad vtrumq; autem horum requiritur quedam potentia: nam ad tradendum aliquid aliis requiritur potentia actiua, ad recipiendum autem requiritur potentia passiua. Et ideo character importat quandam patientiam spirituales ordinatam ad ea, quæ sunt diuini cultus. Sciendum tamen, quod hæc spiritualis potentia est instrumentalis, sicut etiam supra dictum est de virtute, quæ est in sacramentis habere enim Sacramenti characterem competit ministris Dei. Minister autem habet per se modum instrumenti, vt Philos. * dicit in 1. Polit. Et ideo sicut virtus quæ est in Sacramentis: non est in genere per se, sed per reductionem, eo, quod est quidam fluens & incompletum, ita etiam character non proprie est in genere vel specie, sed reducitur ad secundam speciem qualitatis.

AD primum ergo dicendum, quod figura est quedam terminatio quantitatis: vnde proprie loquendo non est nisi in rebus corporeis, in spiritualibus autem dicitur metaphorice. Non autem ponitur aliquid in genere, vel specie, nisi per id, quod de eo proprie predicatur. Et ideo character non potest esse in quarta specie qualitatis, licet hoc quidam posuerint.

AD secundum dicendum, quod in tertia specie qualitatis non sunt nisi sensibiles passionēs, vel sensibiles qualitates. Character autem non est lumen sensibile, & ideo non est in tertia specie qualitatis, vt quidam dixerunt.

AD tertium dicendum, quod relatio, quæ importatur in nomine Signi, oportet quod super aliquid fundatur. Relatio autem huius signi, quod est character, non potest fundari immediate super essentiam animæ, quia sic conueniret omni animæ naturaliter. Et ideo oportet aliquid poni in anima, super quod fundetur talis relatio, & hoc est essentia characteris. Vnde non oportebit, quod sit in genere relationis, sicut quidam posuerunt.

AD quartum dicendum, quod character habet rationem Signi per comparationem ad sacramentum sensibile, à quo imprimitur, sed secundum se consideratus, habet rationem principij per modum iam dictum.*

COMMENTARIVS.

Circa titulum potest in primis dubitari: cum D. Thom. præcedendo articulo supposuerit, characterem esse signum, quod necesse fuit inquirere, an sit potestas: aut quomodo hæc cohereant: esse signum & esse potestatem. Vt hoc ergo explicetur, obseruandum est, in omni signo distinguendam esse relationem seu denominationem signi à fundamento, seu re, quæ ad significandum imponitur: character ergo non potest significare solum relationem vel denominationem, sed rem aliquam, quæ animæ imprimitur cum tali impositione seu denominatione:

natione: quod videlicet in omnibus caracteribus corporalibus, qui non imprimuntur, nisi per appositionem alicuius rei, talis vel talis figura: sic ergo ut anima interius consignetur realiter & intrinsece, necesse est, ut aliqua res absoluta illi imprimatur, quae sit signum, seu fundamentum relationis signi, seu res, ad significandum imposita: quia sola relatio signi, non potest immediate imprimi, aut per se fieri aliqua actione, ut constat ex generali ratione relationis: & praesertim, quia haec significatio necesse est, ut relatio rationis, & ex impositione, ut infra dicam, quare non potest immediate cadere in ipsam animam, tum, quia, anima est, quae signatur, non quae ad significandum imponitur: tum etiam, quia alias haec impressio characteris nihil esset in anima, nisi sola denominatio extrinseca per impositionem. Quamvis ergo character sit signum, necesse est, ut sit aliquid reale, in anima inherens, ac propterea Divus Thomas hoc tanquam certum supponens, inquit, in quo genere, seu specie sit character. Supponit autem ulterius, tanquam manifestum, non posse esse nisi in Prædicamento qualitatis: quia cum insit in anima, non potest esse substantia, quia substantia non inheret substantiae, nec anima rationalis informari potest alia forma substantiali: nec etiam potest esse quantitas, cum sit forma spiritualis, accommodata subiecto suo: superest ergo, ut sit qualitas, nam de relatione iam dictum est, de alijs vero Prædicamentis, nulla potest esse qualitas.

Ratio D. Th. expenditur.

Respondet ergo D. Tho. characterem esse potentiam spirituales ordinatam ad ea, quae sunt divini cultus: quam conclusionem in argumento satis disputavimus. Sed contra, probat hoc Aristoteli. In anima tantum sunt potentia, habitus & passio, ex Aristotele secundo Ethicorum, capite quinto. Sed character non est passio, quia passio cito transit: character vero indebilis permanet: neque est habitus: quia nemo potest eodem habitu bene & male uti, sicut possumus uti characterem, ergo est potentia. Sed haec ratio sine dubio efficax non est. Primo quidem, quia non est contra rationem habitus, ut possumus eodem habitu bene & male uti in genere moris, ut ratio facta procedit. Probatur primo, quia etiam in voluntate est probabile praeter habitus virtutum & vitiorum dari habitus indifferentes, genitos ex actibus, ex obiecto & specie sua indifferentibus: cur enim hoc repugnat? Nam, licet actus specie indifferentes in individuo non fiat sine bonitate, vel malitia accidentaliter sumpta ex fine extrinseco, tamen in entitate sua manet indifferentes, & secundum illam generare potest habitum. Secundo, quidquid de hoc sit, de habitibus intellectus est hoc evidens: nam eodem habitu scientiae utimur bene & male: & de habitu fidei multi idem existimant, & est satis probabile. Character autem à Diuo Thomae ponitur in intellectu: ergo nihil obstat quominus possit esse habitus eius, quo voluntas bene & male moraliter uti possit. Dico autem semper, bene & male moraliter, quia si loquamur de bono, & malo in esse naturae, seu in suo genere, sicut nullus potest uti bene & male scientia in ratione iudicandi, quia, si per scientiam iudicat, necesse est, ut bene iudicet: si autem non recte iudicat, non utitur scientia, & simili modo de qualibet arte, quae sit virtus, ita nullus bene & male utitur characterem in genere sacramenti, ut sic dicam: Nam si characterem utitur rite, conficitur sacramentum applicando omnia ad illius constitutionem necessaria, si autem non rite conficitur, iam non utitur characterem: non ergo occurrit apprensus modus defendendi hanc rationem Divi Thomae, quod mirum esse non debet: quia, & D. Thom. conclusio difficilis est, & in argumentis. Sed contra, non semper utitur D. Thom. rationibus necessarijs.

Addit ergo in corpore articuli, rationem hanc:

quia per characterem deputantur homines cultui divino: sed hic cultus consistit in recipiendo & tradendo divina, ad quos actus requiritur aliqua potentia: ergo character est huiusmodi potentia. Circa quam rationem merito dubitat Caietanus, quia illa consequentia nec formalis est, nec etiam videtur tenere ratione materiae. Primum patet, quia simili modo argumentari possumus. Per characterem deputatur homo ad cultum divinum: sed ad hunc cultum requiritur fides, aut scientia: ergo character est fides, aut scientia: defectus autem illationis est, quia ad cultum divinum multa requiruntur. Unde ex communi ratione, quod aliquid sit requisitum ad cultum Dei, non licet inferre illud esse characterem, nam character est vnum ex requisitis: non vero est omne illud, quod requiritur ad cultum Dei. Quod autem necessitatio teneat ratione materiae, probatur, quia per characterem deputantur homines ad cultum Dei, tanquam per quoddam signum, ut D. Tho. dixit art. praeced. ergo ex hac deputatione non potest colligi characterem esse potentiam: sicut etiam per characterem militare deputatur homo ad militiam: unde non fit, illud esse potentiam, sed tantum signum. Respondet Caiet. consecutionem tenere ratione materiae, quia character non est quaecumque signum, sed perniciens animam ad cultum Dei, ut D. Thomas in litter. ex Dionysio refert, quia ergo hic cultus consistit in tradendo & recipiendo divina: ideo character perficit animam ad recipiendum, vel dandum divina: homo autem primo ac per se perficitur ad recipiendum vel dandum per potentiam dandi vel recipiendi. Sed haec responsio in eandem incidit difficultatem: quia etiam perficitur homo ad dandum & recipiendum per habitus & dispositiones. Optima ergo responsio est, quae idem Caiet. in principio & fine huius disputationis significavit, scilicet per characterem ita deputari hominem ad divina, ut non supponatur in homine potentia tradendi aut recipiendi divina sacramenta, quae sine characterem haberi non potest, & cum illo statim habetur: character ergo non est signum deputatum supponens potentiam: ergo necesse est, ut secum illam afferat: ergo signum est, ipsum etiam characterem esse potentiam, & hoc modo est ratio probabilis, quomodo autem re vera concludat esse potentiam, aut quomodo possit omni characteri applicari, in disputatione sequenti tractabitur: in qua discutiemus aliam partem corporis articuli, in qua duo valde difficilia D. Th. dicit. Vnum est, characterem esse potentiam instrumentalem, sicut est virtus quae est in sacramentis. Alterum est non esse proprie in genere vel specie, sed reduci ad secundam speciem qualitatis. Et ibi etiam explicabimus solutionem ad 2. quae aliquam difficultatem habet: reliqua enim ex dictis faciles sunt.

ARTICVLVS III.

Verum character sacramentalis sit character Christi.

Ad tertium sic proceditur. Videtur, quod character sacramentalis non sit character Christi. Dicitur enim art. 2. & art. Ephes. 4. Nolite contristare Spiritum sanctum Dei, in quo signati estis. Sed consignatio importatur in nomine characteris. Ergo character sacramentalis, magis debet attribui Spiritui sancto quam Christo.

2. Praeterea Character habet rationem signi. Est autem signum gratiae, quae per sacramentum confertur, gratia autem infunditur anima à tota Trinitate. Unde dicitur in Psal. 83. Gratiam & gloriam dabit Dominus. Ergo videtur, quod character sacramentalis non debeat specialiter attribui Christo.

3. Praeterea, Ad hoc aliquis characterem accipit, ut in eo à ceteris distinguatur. Sed distinctio Sanctorum ab alijs fit per charitatem, quae sola distinguit inter filios regni & filios perditionis.